

(c) Exorcizo te, maledicte et inmundissime draco, serpens noxie, per verbum veritatis, Deum omnipotentem et per Iesum, agnum immaculatum, de Altissimo progenitum, de Spiritu sancto conceptum, de Maria virgine natum, quem Gabrihel, adnuntiavit venturum, quem cum vidisset Iohannes voce magna [clamavit]¹ dicens: 'Ecce agnus Dei'², et Petrus: 'Tu es filius Dei vivi', ut nullus noxius pro hoc furto communicet de isto pane vel caseo isto, qui hoc furtum illum admisit, sed tremat manducans et pro eius sanctitate tremebundus evomat³, quod accepit, te iubente, Domine sancte pater.

(d) Omnipotens aeterne Deus, qui celum plasmasti, terram fundasti, mare arenis firmasti et omnes caelos fabricasti et magna luminaria, solem et lunam, splendore educere⁴ iussisti et dispositione ordinasti, fac, Domine, queso signum tale, ut omnis mundus et omnis terra intellegat, quia tu es Deus, qui facis mirabilia magna solus. Domine Iesu Christe, fili Dei vivi, ut qui res istas furatus est, aut qui harum conscius⁵ esse videtur, gula et lingua vel fauces eius agantur ita constricti et obligati, ut panem vel caseum istum non possint manducare. Per tremendum⁶ patrem tuum et te filium eius⁷ et Spiritum sanctum, per tremendum diem iudicii, per IIII evangelia, per XII apostolos, per XII prophetas, per XXIII seniores, qui cotidie tibi laudes decantant, te redemptore, qui pro nostris peccatis manus cruce expandere dignatus es, exoramus, ut qui istum furtum vel consensit, vel furatus fuit, ut omnes homines te adorandum sciant, presta de manu Domini et de sua sancta gloria et virtute, qua nec panem nec caseum istum possit manducare, sed inflato ore cum spuma et lacrimis sanguineum factum reiciant⁸, fiantque sic constricti, ut confiteantur; presta⁹, qui in Trinitate perfecta vivis et regnas in secula seculorum. Amen.

(e) Domine¹⁰ Deus omnipotens, aye, aye, aye, adstans in celis et in terris¹¹, Deum sanctumque et admirabile nomen tuum invocamus¹¹, Dominum dominantium. Deus celorum, Deus iustorum, Deus prophetarum, Deus apostolorum, Deus martirum, Deus confessorum, Deus virginum,

1) Vgl. unten S. 383. 2) Vgl. Form. 631 N. 1. 3) 'evomet' Hs.
 4) So Hs. statt 'splendere et lucere', vgl. Form. 631, 12. 633, 5. 5) 'consuus' Hs.
 6) So Hs., vielleicht irrthümlich aus dem Folgenden vorweggenommen. 7) 'i' Hs. 8) So von derselben Hand corr. aus 'reiciat'.
 9) 'psta' Hs. 10) Mit 'Domine' beginnt in der Hs. eine neue Zeile. Vgl. Form. 631, 23: 'Alia'. 11) So von der andern Hand corr. aus 'invom'.